



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispv. XXVI. De infinito in rebus creatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

finita sit, & hoc est impossibile esse, quia sic oporteret quod aliquid dependeret ex infinitis: Vnde eius generatio nunquam completeretur, cum non sit infinita pertransire. Per accidens autem dicitur multitudo infinita, quando non requiritur ad aliquid infinitas multitudinis, sed accedit ita esse. Et hoc sic manifestari potest in operatione fabri, ad quam quædam multitudo requiritur per se, scilicet quod sit ars in anima, & manus mouens, & martellus, & si hæc in infinitum multiplicarentur, numquam opus fabrile completeretur, quia dependeret ex infinitis causis. Sed multitudo martellorum, quæ accedit ex hoc, quod vnum frangitur, & accipitur aliud, est multitudo per accidens: accedit enim quod multis martellis operetur, & nihil differt, vtrum vno, vel duobus, vel pluribus operetur, vel infinitis, si infinito tempore operaretur: per hunc igitur modum posuerunt, quod possibile est esse actu multitudinē infinitam per accidens. Sed hoc est impossibile, quia omnem multitudinem oportet esse in aliqua specie multitudinis. Species autem multitudinis sunt secundum species numerorū. Nulla autem species numeri est infinita, quia quilibet numerus est multitudo mensurata per vnum. Vnde impossibile est, esse multitudinem infinitam actu siue per se, siue per accidens. Item omnis multitudo in rerum natura existens est creata: Et omne creatum sub aliqua certa intentione creantis comprehenditur: non enim in vanum agens aliquod operatur. Vnde necesse est, quod sub certo numero omnia creata comprehendantur. Impossibile est ergo esse multitudinē infinitam in actu, etiam per accidens. Sed esse multitudinem infinitam in potentia possibile est: quia argumentum multitudinis consequitur diuisionē multitudinis. Quanto enim aliquid plus diuiditur, tanto plura secundum numerum resultant. Vnde sicut infinitum inuenitur in potentia in diuisione continui, quia proceditur ad materiam, vt supra ostensum est, eadē ratione etiam infinitum inuenitur in potentia in additione multitudinis.

Ad primum ergo dicendum, quod vnumquodque, quod est in potentia reducitur in actum secundum modum sui esse: dies enim non reducitur in actum, vt sit tota simul, sed successiue & similiter infinitum multitudinis non reducitur in actum, vt sit totum simul, sed successiue: quia post quamlibet multitudinem potest sumi alia multitudo in infinitum.

Ad secundum dicendum, quod species figurarum habent infinitatem ex infinitate numeri. Sunt enim species figurarum, vt trilaterum, quadrilaterum, & sic inde. Vnde sicut multitudo infinita numerabilis non reducitur in actum, quod sit tota simul, ita nec multitudo figurarum.

Ad tertium dicendum, quod licet quibusdam possit, alia poni, non sit eis oppositum: tamen infinita poni, opponitur cuilibet speciei multitudinis. Vnde non est possibile esse aliquam multitudinem actu infinitam.

DISPUTATIO XXVI.

De infinito in rebus creatis.

Dua extrema sententia de hæc. cap. 1.

Infinitem secundum magnitudinem fieri posse probatur. cap. 2.

Non repugnare infinito multitudinem, eodem modo ostenditur. cap. 3.

CAPVT I.

Dua extrema sententia, de hæc.

Materies horum articularum philosophicæ disputationis propria est, & ad Theologicas veritates parum necessaria. Nam quod attinet ad Dei potentiam, an infinitum huiusmodi facere possit, ex eo solum definiiri debet, quod infinitum in se contradictionem implicet, aut non. An vero ratione magnitudinis, aut multitudinis infinitum esse repugnet, ex philosophiæ principijs solum examinandum est. Verum, quia disp. 63. probandum nobis est, Deum infinita actu cognoscere id, quod aliqui immerito negant: quia alioqui ea omnia posset efficere, quod putant absurdum: idcirco in præsentia paucis ostendam, an repugnet infinitum multitudinem, aut magnitudinem, a Deo fieri. Est autem præmitendum, genus hoc infinitatis aliter profus rationis esse, quam infinitum secundum essentiam, idemque dicendum de infinito in qualitate secundum intensionem: quamvis enim crescente quantitate, aut qualitate, crescat etiam essentia, & natura quantitatis, & qualitatis, ac proinde cum infinita intensione, aut extensione essentia qualitatis, & quantitatis infinita sit, neutra tamen est essentialiter, aut secundum esse infinita, illo nempe genere infinitatis, quo hæcenus diximus Deum infinitum esse: quia tam qualitas secundum intensionem, quam quantitas secundum extensionem infinita, causam sui esse haberet: ac proinde termino ex parte causæ finiretur. In questione igitur proposita non pauci Theologi alleuerant, infinitum actu secundum magnitudinem, aut multitudinem a Deo fieri non posse, quod plura sequuntur absurda, si dicamus aliquod infinitum fieri posse. In hac sententia fuerunt S. Thomas, Caietanus, & alij Thomistæ in artic. 3. & 4. huius quæstio. Bonauent. in 1. distinct. 43. articulo 1. quæst. 3. Durand. quæst. 2. Marsil. in 1. quæst. 42. artic. 7. concl. 6. & 7. & ex philosophis nostræ ætatis non pauci. Rationes vero, quibus id probant, inferius referemus; ex earum namque solutionibus manifestum fiet, nihil omnino absurdi contra oppositam sententiam euidenter deduci.

*Infinitis
varia genera*

*Infinitem fieri non posse
prima sententia dicit,
S. Thomas
Caiet.
Bonauent.
Durand.
Marsil.
Recentiores.*

2

Opiusio

Oppositum
affirmat se-
cunda opinio.
Greg.
Basil.
Cicil.
Ocam.

Avic.
Algariz.

Infini-
tum in
poten-
tia
quod.

Arist.

3

Prima ratio
pro opposita
sententia.

Arist.

2 Thom.
Ricard.

Solutio
pro illa
ratio.

Opinio itaque opposita, non sine probabilitate affirmat, fieri posse à Deo infinitum actu, tam magnitudine in rebus corporeis, quam multitudine in spiritualibus, & corporeis. Eam vero tradunt Gregorius in 1. d. 43 q. 4. Bassolis. quæst. vni ca. 2. q. 3. Ocam vero, saltem in multitudine rerum spiritualium. In quouis autem genere multitudinis per se non ordinatæ eam defendunt. Avicen. & Algariz, quos S. Thomas commemorat in art. 4.

Ceterum antequam ad rationes veniamus, supponendum est id quod disp. 63. ex professo probabitur, nimirum infinitum tam secundum magnitudinem, quam secundum numerum, aliud esse in potentia, aliud in actu. In potentia dicitur, ex quo, si id tantum accipiatur, quod actu existit, finitum quidem est, & terminum habet. Si vero respiciantur ea, quæ adhuc ei possunt adiungi, infinitum est. Talem inquit Aristot. 3. Physic. c. 6. esse diem, & ludum Olympicum. Nam ex eo, quod actu sunt finita sunt; sed ex eo, quod ipsi addi potest, infinita. Sic igitur multitudo rerum, cui potest semper fieri additamentum sine fine, dicitur infinita in potentia, licet omnes vnitates, quas habent, finito numero comprehendantur. Nunc ergo probabiliter ostendamus, non solum posse esse infinitum in potentia, quod philosophi infinitum synecategorematicè, hoc est, cum additamento infinitum appellant: hoc enim in rebus iam esse, omnes fateantur, vt ex dictis patet; sed etiam infinitum actu, quod categorématique infinitum, hoc est simpliciter vocant. Id quod ex solutionibus rationum prioris sententiæ, colligendam est. An vero præter has rationes, quas hic in vnum colligemus, alia excogitari possit, qua monstratur, impossibile esse, fieri à Deo infinitum actu, aliorum iudicio integrum relinquimus.

CAPVT II.

Infini-
tum secundum
magnitudinem
fieri posse
probatur.

PRIMA ratio, qua probari solet, infinitum secundum magnitudinem fieri à Deo non posse, est huiusmodi. Aut corpus est naturale coniunctum materiæ, & formæ, aut est omnino mathematicum in pura quantitate abstracta à materiæ: neutro autem modo potest esse infinitum: Ergo nullo alio modo esse poterit. Primum, naturale corpus esse non potest, tum quia illud habere debet determinatam formam substantialem, & finitam: omnis autem determinata forma determinata expolit accidentia, & quantitatem: tum etiam, quia omne corpus naturale mouetur, aut moueri potest: sed corpus infinitum aliquem motum subire non potest, vt fuse exponit Aristot. 1. de Cælo c. 5. ergo infinitum corpus coniunctum materiæ, & formæ, seu naturale, esse nequit. Deinde nec mathematicum: quoniam omne huiusmodi corpus habet figuram: hæc enim est forma corporis mathematici: figura autem est in extremitate, & termino corporis: ergo tale corpus infinitum esse non potest.

Hæc ratione vititur S. Thomas in art. 3. huius q. sed Ricardo q. 5. non placet, atque hoc pacto dissolui potest. Quamuis corpus mathematicum in sola cogitatione infinitum esse non posset, quia semper à nobis apprehēderetur instar aliorum, quæ finita sunt; hinc tamē non colligitur, re ipsa à Deo fieri non posse. Multa enim, quæ cogitare non va-

l'asquez in 1. part. Tomus I.

lemus, à Deo fieri non repugnat. Tum etiam ex parte nostræ cogitationis nihil obstat, facile namque apprehendimus vastitatem aliquam, seu magnitudinem extra cælum sine vilo termino: nihil ergo repugnat, quo minus corpus mathematicum infinitum fieri possit à Deo. Fateor quidem huiusmodi corpus non esse, de quo disputant mathematici. Horum enim demonstrationes circa finitam quantitatem versantur; de infinita vero, sub ratione infinitæ, eorum scientia nihil demonstrat: hoc tamen nõ probat, eam magnitudinem re ipsa esse non posse. Quare cum Aristot. 3. Physic. cap. 5. ostendit infinitum non esse, textu 39. plane profiteretur de mathematicis, & intelligibilibus se non disputare. Verba ipsius cap. sequenti referemus.

Si vero loquamur de corpore naturali, etiam si corpus illud non moueretur, si infinitum esset, vt optimè probat Arist. 1. de Cælo capite illo 5. hinc tamen non colligitur, non fore naturale, aut in se non habiturum naturam, quæ est principium motus. Solum sequitur eius naturam fore impeditam mole illa infinita quantitatis; nam qualibet pars illius separata, & finita absque vlla mutatione substantiali moueri posset. Quare vt recte docet Ricardus q. 11. nihil repugnat, esse aliquod corpus quod moueri nequeat. Denique ex eo, quod corpus illud naturale haberet determinatam, & finitam formam secundum esse, ac proinde determinata accidentia postulare, ac finita secundum esse non colligitur secundum magnitudinem determinatum iri. Hæc enim duo genera infinitatis, scilicet secundum esse, & secundum quantitatem, omnino distincta sunt, vt superius admonuimus. Quod si ex determinata natura secundum esse colligeretur necessario determinata quantitas secundum extensionem, fieret, vt omne corpus naturale determinatam etiam extensionem exigeret, quod est absurdum: nam ignis addita materia sine termino augeri posset, vt docet Aristoteles 2. de anima c. 4. text. 41. atque id experimento comprobatum est.

Hoc argumento oppressus Caiet. in art. 3. §. 8. ad ea vero, huiusmodi excogitauit effugium; asserit maximum ignem duobus modis intelligi: vno modo, vt sit per se vnus altero modo, qui sit per aggregationem vnus. Concedit autem, dari quidem maximum ignem intrinsece terminatum, cuius forma naturalis per se postulat talem magnitudinem, sed in aliquo indiuiduo per se vno, non in indiuiduo per aggregationem: tu hoc enim augeri posset in infinitum. Appellat vero indiuiduum ignis per se vnum, quod in duos ignes diuidi non potest: per aggregationem autem vnum, quod in duos diuidi potest. Verum igitur est (inquit Caietan.) formam naturalem ignis, eo quod determinata sit secundum esse, determinatam quoque quantitatem, & accidentia postulare.

Ceterum præterquam quod hæc Caietani distinctio commentitia statim apparet: argumentum eodem modo probat id, quod contendimus. Primum autem, distinctionem illam inanem esse, patet ex eo, quod eiusdem profus naturæ est ignis in quacunque quantitate: postulat igitur semper eadem omnino accidentia, quæ ad conseruationem sui, & rectam habitudinem spectant. Quocirca, si quantitas illius crescere potest in infinitum, etiam per aggregationem; signum est, non esse per se requisitam in aliqua mensura determinata.

M nata.

Aristot.

Ricard.

5

Aristot.

Caietani
effugium

Resoluitur

6

Non viuentiam nullam datur terminum versus paruitatem, & magnitudinem.

nata. Ex quo etiam verius puto, nec versus minimum, nec versus maximum terminum aliquem quantitatis ad conseruationem formæ naturalis non viuentis esse necessarium: sed per accidentis, ex nimia diminutione à contrario corrumpi; ex incremento vero in infinitum nunquam perire; cum tamen Aristot. dicat loco citato incrementa viuentium non posse fieri in infinitum, cuius verba hic obiter placuit explicare.

Aristotel.

Probat itaque Aristoteles viuentia non augeri à solo calore naturali secundum propriam naturam illius, sed quatenus est virtus, & instrumentum animæ. Reddit rationem his verbis. *Nam ignis quidem accretio in infinitum progreditur.* Quasi dicat: si viuentia à solo calore naturali virtute propria illius augerentur, in infinitum crescerent. Subdit deinde:

Explicatur versus Arist.

At eorum omnium qua natura constant, est finis, & ratio tam magnitudinis, quam accretionis. Hæc autem anima sunt, non ignis, & rationis potius, quam materia. Quæ sane verba ijs, quæ proxime dixerat, contraria videatur. Dixerat enim, ignem crescere in infinitum, & postea asserere videtur entia naturalia terminum habere magnitudinis. Verum facilem

Simpliç. 7.

habent explicationem, & cum præcedentibus recte cohererent, si interpretatione Simpliçij sequamur; qui nomine finis non intelligit limitem, & extremum, sed formam, quæ dicitur rem ipsam, & materiam eius terminare: habent autem alij textus, non finem, sed terminum. Licet ergo hoc pacto ordinanda est. Omnium naturalium entium, siue viuentiam siue non viuentium finis, & terminus, hoc est forma, est, & ratio, seu regula magnitudinis, & accretionis; ac proinde in viuentibus animæ tribuenda est, non igni, hoc est, non calori secundum se, & rationi ipsius augmenti, quam diximus esse formam, tribuenda est accretio, non autem materiæ alimentis, quibus recte probat, augmentum viuentium, etiam si fiat medio calore, atque alimentum semper apponatur, non procedere in infinitum, quia impetum illius moderatur anima, cui augmentum præcipue tanquam formæ tribuendum est. Ceterum, si admittamus distinctionem Caietani, saltem argumentum superius factum probat, nihil repugnare, quo minus detur infinitus ignis per aggregationem, quia talis non postulat natura sua determinata accidentia, & quantitate.

Bonauentura. Secunda ratio dissoluitur.

Secunda ratio, qua vitur Bonauentura, ad probandum non posse dari corpus infinitum, talis est. Omne actu infinitum est actus purus; alioqui, si aliquid haberet de potentia, esset finitum: sed nihil creatum potest esse purus actus, quia esset suum esse, ac proinde non posset non esse, ergo nihil creatum potest esse infinitum. Verum ex ijs, quæ initio disput. notauimus, hæc ratio facile dissoluitur: illud enim infinitum, quod est secundum esse, & soli Deo conuenit, vt superiori disputatione explicauimus, est purus actus, qui non potest non esse: at infinitum secundum quantitatem, quia secundum esse finitum est, & ex nihilo productum, purus actus non est, & potest non existere.

Tertia ratio nil probat.

Tertia ratio, si daretur infinita quædam longitudo, & diuideretur in duas partes, vna esset æqualis alteri, quia vtraque esset infinita ex vna parte, ex altera verò finita: hoc autem fieri non potest: tum quia vnicuique illarum posset aliquid addi, & ita fieret maior: tum etiam quia sequeretur, partem esse æqualem toti. Nam sumamus in-

lam longitudinem infinitam ex vna parte, antequam ei aliquid addatur ex alia parte, quæ finita est; ea quidem est æqualis sibi addita deinde quantitatis, & est pars respectu sui facti additamento. Ergo pars esset æqualis toti. Similem rationem asserit Ricardus quæst. illa 5. & respondet ea nihil probati: quoniam æquale, & inæquale maius, & minus sunt passionis quantitatis finitæ; sunt enim relationes secundum mensuram inter duò quanta. Solum autem quæ finita sunt, sub mensuram cadere possunt. Infinita igitur quantitas alteri infinitæ comparata æqualis, vel inæqualis, maior, aut minor dici non potest. Quare, si quantitati finitæ ex vna parte, quæ est infinita ex alia, aliquid adderetur, sicut reuera addi posset, non propterea diceretur fieri maior.

Ricard.

Porto cum Arist. 3. Phys. c. 5. ex professo probet, non posse esse in rerum natura corpus aliquod infinitum, nunquam tali ratione vsus est. Neque enim cum doctrina ipsius satis constare posset. Si quidem 8. Phys. 1. 2. & 3. & 1. de Cælo c. 10. probat, mundum ingentitum esse, & æterno; ac proinde motum illius fuisse sine principio. Quod si ratio allata probaret, non posse dari corpus infinitum, probaret etiam, non potuisse esse motum ab æterno vsque in hodiernum diem. Nam sequeretur, & infinito posse aliquid addi; additur enim perpetuo tempus præteritum: sequeretur etiam fieri maius tempus arque partem esse æqualem toti. Tempus enim præteritum vsque ad hesternum diem videtur esse pars; comparatum cum toto tempore vsque ad hodiernum. Quod si Arist. absurdum hoc sequi existimaret; nunquam alleruisset motum ab æterno fuisse.

Non vsus est Aristot. ea ratione.

Ego sane existimo, Aristotelé eo presertim docuisse infinitum esse non posse, quod existimaret hanc rerum vniuersitatem non voluntate Dei, sed necessario ita ab æterno constituisse: ex quo etiam probat aliud vniuersum esse non posse. Hoc verò supposito ex his, quæ videmus, recte colligit, non posse esse infinitum, quod perinde est in eius sententia, atque probare, nunc actum non esse. Omnes enim rationes, quibus vitur 3. Phys. cap. 5. & 1. de Cælo c. 5. & sequentibus, vel ex generatione, & mixture, vel ex alijs, quæ experientia constant, desumptæ sunt. Ex quibus non licet inferre, absolute Dei potentia infinitum fieri non posse.

Mens Arist.

Quarta ratio Arist. 1. de Cælo c. 5. ideo probat non posse corpus infinitum circulo moueri, quia sequeretur, distantiam infinitam tempore finito percurri. Nam si à centro ducentur duæ lineæ, quo magis protrahuntur, magis distant: cum igitur protrahantur in infinitum, tandem distantia erit infinita, per quam necesse est eodem tempore peragi motum, atque per distantiam breuiorem inter eadem lineas, prout propinque sunt centro. Sequitur præterea, distantiam inter duas lineas tandem esse infinitam, quod videtur absurdum, cum ea sit inter lineas, atque adeo lineis terminata.

Aristot.

Respondeo, hoc argumento recte probari non posse esse motum circularæ corporis infiniti, quia sequeretur in finitum pertransiri, eo quod motus, qui responderet spatio inter duas lineas, vel partio circulo circa centrum non posset esse finitus comparatus cum tota magnitudine versus partem superiorem, & nisi spheram aliquam supremam assignemus, per quam fiat motus, intelligi non potest motus aliquis circularis. Si autem spheræ assigne-

figne-

signetur, necesse est corpus illud finitum esse, & circulo conclusum: nihilominus non colligitur esse aliquam magnitudinem infinitam inter duas lineas: quia ubiunque signetur, semper erit finita: nec est aliqua suprema pars, in qua distantia assignetur actu infinita, sed signatur quacunque, quae finita erit, poterit alia maior assignari in finitum. Quare, si quis dicat, posse dari corpus infinitum, sed non posse moveri circulariter, etiam de potentia Dei, quia non potest respondere sphaera finita magnitudinis, quae peragat motum, non dicit aliquid absurdum.

CAPUT III.

Non repugnare infinitum multitudinem, eodem modo ostenditur.

Superest de infinito secundum multitudinem, siue in rebus spiritualibus, siue etiam in corporalibus idem probemus, ostendentes rationes, quibus aliqui utuntur, ut demonstrent oppositum, facile posse dissolui. Sed ante omnia praemittendum est, Aristotelem nunquam locutum fuisse de infinita multitudine rerum spiritualium: quoniam 2. Physic. 5. cum proposuisset rationes, quibus aliqui persuadere contendebant, infinitum non esse separatum a materia, text. 39. subiungit: Verum haec quidem forsitan inquisitio vniuersalis est magis: si passim inquam, infinitum in mathematicis & in intelligibilibus & in hisce, quae nullam habent magnitudinem, esse. Nos autem, si sit in sensibilibus, de quibus doctrinam facimus, infinitum corpus in remento, nec ne, consideramus, ac perscrutamur. Subinde vero disputationem de infinito in rebus quantis profectur. Nolit igitur de incorporeis rebus disputare, quod sibi non tam perspectum esset in spiritualibus, quam in corporeis, infinitum esse non posse; siquidem in eius opinione mundus, & generationes hominum erant ab aeterno. Ex quo sequebatur, aut animam rationalem mortalem esse, aut de corpore in corpus migrare, aut infinitum numerum animarum esse. Deinde obseruandum est, quaestionem hanc non esse de multitudine causarum per se inuicem ordinatarum, haec enim impossibilis est, ut aliquis sequatur effectus: sed de multitudine rerum quacunque. Iam ergo videamus, an argumenta opposita aliquid probent.

Primum argumentum. Omnis multitudo debet esse sub aliqua specie; omnes autem species multitudinis sunt secundum species numeri, & nulla species numeri est infinita, ergo nulla infinita multitudo esse potest. Hoc argumento utitur S. Thom. in art. 4. primo loco, & eodem spectare videtur secundum, quod affert Ricardus q. illa 6. quod videlicet omnes effectus, qui ab vno principio deriuantur, debeant inter se ordinari aliquem habere; in infinita autem multitudine non possent: ordo enim est habitudo ad vnum primum, in multitudine autem infinita non est primum.

Verum in vtraque ratione assumitur id, quod non probatur; & si negetur, probari non potest. In primis enim omnem multitudinem debere esse in aliqua specie numeri, vnde constat: cum etiam rerum multitudo, quatenus est a parte rei, rationem formalem, & specificam numeri non habet: hanc enim accipit ab intellectu considerante, & diuidente. Nam anteaquam intellectus numeret, cur dices hanc vnitatem ad quaternarium potius, quam ad quinarium pertinere, cum ita

Vaquez in 1. part. Tomus I.

vni, sicut alteri coniungi possit, & re ipsa hi numeri diuisi non sint, sed vna tantum sit rerum multitudo?

Caietan. in hoc articulo, ut hanc rationem S. Thomae confirmet, concedit, non omnem multitudinem esse in specie numeri: non quia putet, aliquam posse esse infinitam multitudinem, quae non habeat rationem numeri, sed quia censet, multitudinem rerum spiritualium ad speciem numeri non pertinere, quam ex solis corporibus quantis constitui arbitrat. Addit praeterea, S. Thomam non assumpsisse illam propositionem: Omnis multitudo debet esse sub aliqua specie numeri, sed hanc, omnis multitudo debet esse in aliqua specie, deinde argumentum suum hoc modo duxit. Omnes species multitudinis debent esse secundum species numerorum, non dixit debent esse species numerorum, sed secundum species numerorum, ac si diceret (inquit Caietan.) debent proportionem habere cum speciebus numerorum, sicut multitudo Angelorum quauis non sit in praedicamento quantitatis sub specie numeri, habet tamen eandem cum numero proportionem, ut numeretur: hanc autem non potest habere infinita multitudo: ergo talis esse non potest. Porro omnem multitudinem habere proportionem cum numero ex his, quae passim videmus probat Caietan. Ceterum contra hanc doctrinam sunt aliquae rationes. Primo quia numerus secundum formalem suam rationem, quam nullus praeter mathematicum considerat, etiam in Angelis reperitur, nam mathematicae demonstrationes ita in Angelis, sicut in rebus corporeis procedunt.

Secundo cum ratio praedicta assumit, omnem multitudinem debere esse in specie aliqua, vel intelligitur de aliqua specie, quae non sit species numeri, & hoc omnino gratis assumitur: nam si non est species numeri sub genere quantitatis, sub quo alio genere, aut specie esse poterit, praecedens autem ratio supponere videtur, illam multitudinem debere esse in aliqua specie, quae non sit species numeri. Aut assumit ratio facta, Nam multitudinem debere esse in aliqua specie numeri, & hoc etiam probari deberet: nam quis dicat, infinitam multitudinem esse aliquam speciem numeri? Tertio etiam si deus, multitudinem omnem esse in aliqua specie, quae non sit species numeri, cum deinde subsumit ratio, omnes species multitudinis esse debere secundum species numerorum, hoc est (ut vult Caietan.) habere proportionem cum speciebus numerorum, gratis etiam subsumitur. Nam, quod ait Caietan. hoc nobis constare ex eo quod videmus, omnem rerum multitudinem sic se habere, parum interest: hoc enim solum inuenitur in multitudine rerum creaturarum: at vero non probat, nullam multitudinem fieri posse, quae proportionem non habeat cum numero.

Secundum argumentum, omne creatum sub aliqua certa intentione creatis comprehenditur, cum omne agens, praesertim Deus, non agat incertum: ergo si plura creatur, necesse est, certo numero comprehendi: infinita autem multitudo sub certo numero comprehendere non potest, ergo, neque fieri. Hoc argumento utitur S. Thom. in art. 4. in 2. loco. Verum contra obiicit Caietan. tria, ex quibus id, quod affert secundo loco, praedictum argumentum infringere mihi videtur

M 2 hoc

Caietani explicatio.

13

Resoluitur.

14

De multitudine rerum spiritualium non agit, Aristot.

12

S. Thom. Ricard.

Prima ratio non probat quod conuenit.

S. Thom. Infringitur secunda ratio.

hoc modo. Quamquam quodlibet creatum alicuius multitudinis, debet sub certam creatis intentionem cadere, tamen vniuersa multitudo singularum non debet hoc modo comprehendi; est enim vnicuique rei huius multitudinis sua quæ-

15.

Caiet.

Caietani solutio.

Rejicitur.

quæ propria, & determinata creatio, ac proinde agentis intentio certo, & determinate fertur in singula: at vero tota multitudo non vna creatione producitur: ergo non debet certa agentis intentione, & numero comprehendi.

Respondet sibi Caietanus §. Ad 2. vero, totam multitudinem, quæ habet rationem vniuersitatis, habere quoque rationem vnius rei creatæ, idcirco sub certam aliquam intentionem creatis cadere debere. Verum hoc non satisfacit rationi, quam sibi obiecit. Quoniam tota rerum vniuersitas non potest habere rationem vnius rei creatæ, siquidem non vna, sed pluribus productionibus singularum rerum producitur. Quod si rerum vniuersitas aliquam habet vnitatem, solum est ordine quodam inter ipsas res, quibus constat, qui tantum in multitudine finita reperiri potest. Preterea cum Deus perspiciat intellectu, & omnipotenti voluntate, quæ falli, aut deficere nequeunt, omnia operetur, non minus infinita illa rerum multitudo sub certam Dei cognitionem, & voluntatem caderet, quam si finita esset. Quare neque eius actio transiens, qua singula produceret, in incertum tenderet, cum vnamquamque rem sua determinata creatione produceret: neque scientia, qua ab æterno singula nouit, aut voluntas, qua creare decreuit, in totam illam multitudinem confuse ferretur.

16

Tertium argumentum, Deus non potest simul facere, quicquid cognoscit simul possibile fieri: ergo non potest facere infinitum. Nam si Deus infinitum produceret, faceret omnia, quæ cognoscit possibile fieri: hæc enim duo reciprocari videntur: Deum autem non posse simul facere omnia, quæ cognoscit possibile, hæc ratione probant. Si Deus produceret illa omnia simul, nihil aliud superesset faciendum: ergo omnipotentia Dei esset exhausta, atque adeo minor, quam antea, vel certe nulla. Hæc ratio est Alexand. l. par. q. 21. m. 2. ad. 3. quæ multis viris doctis nostræ ætatis magni momenti visa est. Eam tamen ex duplici capite infirmam esse facile ostendam. Primum vt illa prior consequentia bona sit, necesse est reciprocari illa duo, quæ diximus, nempe infinitum, & quicquid Deus cognoscit possibile: at ea non cõuertuntur: nam licet recte sequatur, facit Deus omnia, quæ nouit, ergo facit infinita, non tamen colligitur, facit infinita, ergo facit omnia, quæ nouit. Deus enim non vnam solum infinitam multitudinem cognoscit, sed plures: nam in quacunque specie, infinita cognoscit indiuidua: posset igitur producere infinitam multitudinem in vna specie, si simul produceret omnia indiuidua illius, quæ cognoscit, & tamen non produceret simpliciter omnia, quæ cognoscit. Ergo illa duo non reciprocantur, ac proinde prima illa consequentia nulla est.

Alexand.

Infirmatur ex duplici cap. argumentum.

17

Præterea, etiam si concedamus, Deum produxisse simul omnia, quæ cognouit possibile in quacunque specie, nihil inde sequitur absurdum, vt argumentum contendebat. Quare & posterior consequentia illius non recte colligit: id quod tribus probari potest. Prima ratio, Sicut se habet om-

nipotentia Dei ad omnem multitudinem possibilem, sic se habet ad singula illius: videlicet si tunc rebus omnibus simul productis, quia alia produci non possent, Dei potentia exhausta diceretur: ita etiam nunc se vna, aut pluribus productis, imminuta, aut certe non tam late patens, quam antea, esset: iam enim non posset singula, quæ antea poterat, si ergo hoc non est absurdum, neque illud erit: siquidem vt potentia Dei exhauriri, ita etiam minui, aut restringi repugnat. Cæterum, cum productio rerum nullam Deo perfectionem addat, sed tota omnipotentia perfectio in eo consistat, vt in se talis natura sit, cui conueniat producere omnia, quæ non implicat contradictionem: fit vt ea non posse producere, quæ contradictionem implicat, nulla sit in Deo impotentia, aut potentia imminutio, seu imperfectio. Quare ex eo, quod post aliquorum productionem, tot producere non possit, quot antea poterat, vel productis iam omnibus possibilibus, aliud non possit producere, quia vt utrumque impossibile est, nullus est defectus potentia; ac proinde ob id nequaquam exhauriri, aut imminui dicitur: illa enim semper est, & fuit circa esse solum, quæ pro tali, vel tali tempore non implicat contradictionem: neque vlla in Deo potentia fuit, aut est ad producendum aliquid vltra omnem multitudinem, quam ipse cognoscit. Nulla igitur in Deo, sed in rebus aliis, variatio esse potest, aut imminutio. Quare eius potentia in seipsa nullo modo exhauriri, imminui, aut restringi dicitur.

Dei potentia quæ modo non ex hauriatur.

18

Deinde si infinita rerum omnium possibilem multitudo producta esset, non solum non esset exhausta potentia Dei ex parte ipsius, sed neque ex parte rerum: semper enim adhuc superesset in æternum aliquid faciendum. Nam producta semel omnium rerum multitudine, quam cognoscit, posset adhuc totam ipsam, aut partem destrudere & iterum creare: aliquid igitur faciendum superesset potentia Dei. Adde, quod multitudo illa eodem modo continuo procederet à Deo conseruante, sicut initio producta esset: conseruatio enim rerum est continua quædam creatio earum, qua non minus continuo res ex nihilo extrahitur, quam in principio, cum primum creata fuit, vt disput. 174. cap. 3. dicturi sumus. Sicut ergo in instanti, quo crearetur illa multitudo, potentia Dei exhausta, aut imminuta nequaquam diceretur, si quidem tunc non tantum posset operari, sed etiam actu operaretur, eadem quoque ratione dum multitudinem totam omnino conseruaret, non minus tunc, quam in principio exhausta, aut imminuta non esset.

Nota.

Quartum argumentum, si Deus produceret infinitos homines, non posset facere rem aliquam alterius speciei ex ijs, quas cognoscit possibile, quod tamen videtur absurdum: quoniam infinitum illud est, extra quod nihil est: ergo extra homines infinitos nulla alia res produci posset. Tum etiam si produceretur aliquid aliud, infinito fieret additamentum, ac proinde vnum infinitum esset maius alio. Hoc etiam argumento quidam arbitrantur, optime demonstrari generationes hominum ab æterno non fuisse; quia animarum numerus esset infinitus, extra quem nulla res alia creari posset.

19

Verum cum ex illa definitione infiniti, quam aliqui putant ab Arist. traditam esse, desumptum sit

Quarum
argumentum
nullus est
obscuro.

fit argumentum, & ipse nihilominus dixerit ge-
netationes fuisse ab eterno, credendum non est
alicuius roboris esse; cumque idem argumentum
fieri possit contra veram opinionem, quæ dicit in-
finita actu individua sub qualibet specie à Deo
cognosci, vt disp. 63. videbimus, & contra eam ni-
hil probare debeat, sic etiam nullo modo conuin-
cit infinitam multitudinem fieri non posse.

Cæterum argumento directe satisfacere non
erit difficile. Quoniam Arist. non tradit definitio-
nem illam infiniti, sed omnino improbat tertio
Physic. cap. 6. text. 62. his verbis: *Est autem, vt infi-
nitum sit contrario modo, atque alij dicunt: non enim id est
infinitum, cuius nihil est extra, sed id, cuius aliquid semper
est extra, & text. 63. infinitum igitur id est, cuius semper
aliquid extra ratione quantum accipi potest. Cuius vero
nihil est extra, id est perfectum, actotum.* Ergo definitio,
quæ afferitur in argumento, non est infiniti,
sed perfecti. Illud enim est perfectum, quod in se
omnia habet, & nihil est extra ex ijs, quæ à illius
constitutionem desiderantur.

Quid sit in-
finitum se-
cundum
Aristot.

Vera autem definitio infiniti ex Arist. sententia
est, cuius aliquid accipientibus semper superest a-
liquod accipiendum. Cuiusmodi dixerat Arist. text.
57. esse infinitum omnino, hoc est actu, & ab infi-
nito in potentia distinxerat: infinitum enim in po-
tentia est veluti ludus Olympicus, qui totus actu
finitus est, fieri autem potest maior sine fine: infi-
nitum autem actu, cuius accipientibus aliquid su-
perest semper aliud accipiendum ex ijs, quæ actu
in eo sunt. Si ergo daretur infinita hominum mul-
tudo, possent quidem alia multa fieri, & extra il-
lam esse: neque id quidquam derogaret rationi in-
finiti: neque ex eo quod alia fierent, multitudo
hominum augetur, aut fieret maior. Nam, vt su-
periori cap. notavi, æquale, & inæquale, maius, &
minus, passiones sunt quantitatis finite, non infi-
nitæ. Concedendum tamen est, posse esse infinitam
aliquam multitudinem, quæ intra se non conti-
neat omnia, quæ sunt, aut fieri possunt, cui si alia
adderentur, non diceretur plura habere, sed alia,
quæ antea non habebat; nomen enim, *plura*, rela-
tionem inæqualitatis significat, quam diximus in-
finite quantitati, & multitudini non convenire.

Quintum argumentum sumitur ex ordine ad
spatium, quod occuparet infinita multitudo, & est
huiusmodi. Datur infinita multitudo lapidum, illa
sine dubio occupabit infinitum locum ergo simul
fieri non possent infiniti homines: Deus ergo
non posset producere omnia, quæ cognoscit pos-
sibilia. Respondeo primum, hoc argumentum non
probari, non posse fieri infinitum à Deo, sed non
posse fieri omnia simul, quæ cognoscit Deus fieri
posse. Deinde non probat non posse fieri plures
simul infinitas multitudines: nam multitudo in-
finita non necessario occupat infinitum spatium
ex omni parte, sed si ex vna tantum extendatur in
infinitum, poterit esse innumerabilis.

Solutio se-
cunda ratio.

Verum urgebit aliquis hoc modo. Ponantur
lapides ordine recto in infinitum, qui ex vna par-
te terminum habeant, ex alia vero in infinitum
extendantur. Diuidatur deinde hæc longitudo in
infinitas pedales quantitates, & Deus separet
ternas ex illis, alijs remanentibus, & coniunctis:
vel si dicatur, in ea multitudine alternas non esse,
ratio enim alterni in proportionem consistit, quæ
in multitudine infinita non reperitur: diuidatur
saltem quilibet pedalis quantitas in duas, & vna
Vaquez in 1. part. Tomus I.

Veni ratio-
nem.

quæque medietas separetur ab alia, & omnes si-
mul separeta in suo quoque ordine collocentur:
tunc sine dubio fient duo infinita secundum lon-
gitudinem ex vna parte, vbi antea tantum erat v-
num: quare eademmet quantitas maius spatium,
quam antea, occupabit. Vel, si placet, vna series il-
larum medietatum extendatur Compluto versus
orientem, alia vero ex eodem loco versus occi-
dentem, id quod Deus facere potest absque mo-
tu, iam fiet vnum infinitum actu secundum lon-
gitudinem versus vtramque partem. Quod si ali-
quis dicat, non posse medietates singularum qua-
ntitatum assignari, quia perinde esset, atque assigna-
re alternas; ponamus, Deum produxisse infinitos
homines versus orientem, deinde separet brachia
singulorum versus occidentem, iam fiet, vt dixi,
vnum infinitum actu ex vtraque parte, ex vno in-
finito tantum versus aliam.

Ego quidem omisis multis, quæ Gregor. accu-
mulat q. illa 4. art. 2. ad 6. vt hoc argumentum dis-
soluat, ingenue concederem ex vno infinito se-
cundum multitudinem versus vnam partem fieri
posse aliud infinitum ex vna etiam parte, & ex v-
troque vnum ex vna, & alia parte infinitum: ex
quo non video, aliquam posse colligi contradi-
ctionem, licet sensui videatur repugnans. Ex hoc
enim non liceret inferre, idem infinitum seipso
fieri maius, nullo extrinseco adueniente. Nam ma-
ius, & minus soli quantitati finite convenire pos-
sunt, vt supra dictum est. Quare quomodocumque
disponatur quantitas illa, nunquam maius spa-
tium occupabit. Si vero quis obiciat, eadem ra-
tione fieri posse, vt ex vno infinito ex vna parte se-
cundum longitudinem fieret infinitum, non tan-
tum ex vtraque parte secundum longitudinem,
sed etiam ex omni parte in circuitu, quod videtur
absurdum; responderetur non recte colligi: quon-
iam additamentum solum fieri posset, diuisione
facta secundum proportionem ex singulis quan-
titatibus, hoc autem non posset ita fieri in infi-
nitum, vt omne spatium possibile repleretur.

Gregor.
Solutio.

Postremum argumentum. Si essent infiniti ho-
mines, & singuli singulos lapides haberent; pos-
sent illos mittere in vnum acernum, & inde quis-
que accipere decem, siquidem acerbus infinitus
est, sic autem quisque plures haberet, quam antea
habebat, Respondeo, non posse singulos homi-
nes denos lapides accipere, sed singulos tantum:
quod enim lapides sint infiniti, patum refert, qua-
do singuli singulos tantum posuerunt. Dices, si
singuli posuissent decem, possent accipere decem,
& acerbus esset nihilo magis infinitus, quam si
singuli singulos tantum posuissent. Respondeo,
esset sane infinitus aceruus, nec maior nec minor,
quam si singuli singulos lapides misissent, quia
maius, & minus inter quantitates, aut multitudi-
nes infinitas esse non potest, vt supra notatum est:
si tamen singuli posuissent denos lapides, essent
aliqui in ea infinita multitudine, qui non essent in
alia, in quam singuli tamen lapides missi essent, &
hoc satis est, vt in priori casu possint singuli denos
accipere: in alio vero non nisi singulos.

23
Solutio 6.
rationu.

Dices in illo casu, quo positi essent singuli la-
pides, accipiant saltem quotquot possunt homi-
nes de nos lapides; quaeritur tunc: quot remane-
bunt? si dicas infiniti; ergo iam possent aliqui ex
illa multitudine plures recipere, quam posuerunt:
si vero dicas finitos remanere, ergo iam infiniti

Obiectio.

Solutio.

homines singuli denos lapides acceperunt. Respondeo non esse determinatum numerum hominum, ex quo singuli possunt denos lapides accipere, sed signato numero 20. hominum, possunt plures etiam denos lapides accipere, & sic in infinitum, absque eo quod ultimum signare possimus. Quod si ex illa multitudine decem homines acciperent singuli denos lapides, opus esset, ex illa infinita multitudine hominum, alios etiam homines manere sine singulis lapidibus, quos possuerunt. Quare recte omnibus consideratis, ego sane nullam hactenus inuenio allatam esse contradictionem euidenter, propter quam Deus non possit infinitum in quantitate producere.

QVÆSTIO VIII.

De existentia Dei in rebus.

Quia vero infinito conuenire videtur, quod ubique, & in omnibus sit considerandum est, vtrum hoc Deo conueniat.

Et circa hoc quærentur quatuor.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deus sit in omnibus rebus.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod Deus non sit in omnibus rebus. Quod enim est supra omnia, non est in omnibus rebus: sed Deus est supra omnia, secundum illud Psalm. Excelsus super omnes gentes Dominus, &c. ergo Deus non est in omnibus rebus.

2. Præterea: Quod est in aliquo, continetur ab eo: sed Deus non continetur à rebus, sed magis continet res: ergo Deus non est in rebus, sed magis res sunt in eo. Vnde Augustin. in libro 83. quæst. dicit, quod in ipso potius sunt omnia, quam ipse alicubi.

3. Præterea. Quanto aliquid agens est virtuosius, tanto ad magis distans eius actio procedit: sed Deus est virtuosissimum agens: ergo eius actio pertingere potest ad ea etiam, quæ ab ipso distant, nec oportet quod sit in omnibus.

4. Præterea. Dæmones res aliquæ sunt: nec tamen Deus est in dæmonibus: non enim est conuentio lucis ad tenebras, ut dicitur 2. ad Corinth. 6. ergo Deus non est in omnibus rebus.

Sed contra. Vbicumque operatur aliquid, ibi est, sed Deus operatur in omnibus, secundum illud Isaia 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine: ergo Deus est in omnibus rebus.

Respondeo dicendum, quod Deus est in omnibus rebus: non quidem sicut pars essentia, vel sicut accidens, sed sicut agens adest ei in quod agit. Oportet enim omne agens coniungi ei, in quod immediate agit, & sua virtute illud contingere: vnde in 7. Physic. probatur, quod

ARTIC. I.

motum, & mouens oportet esse simul. Cum autem Deus sit ipsum esse per suam essentiam, oportet quod esse creatum sit proprius effectus eius, sicut ignire est proprius effectus ipsius ignis. Hunc autem effectum causat Deus in rebus non solum quando primo esse incipiunt, sed quamdiu in esse conseruantur: sicut lumen causatur in aere à Sole quamdiu aer illuminatus manet. Quamdiu igitur res habet esse, tamdiu oportet quod Deus adit ei secundum modum quo esse habet. Esse autem est illud, quod est magis intimum cuiuslibet, & quod profundius omnibus inest, cum sit formale respectu omnium, quæ in re sunt (ut ex supradictis patet) Vnde oportet quod Deus sit in omnibus rebus, & intime.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus est supra omnia per excellentiam suæ naturæ, & tamen est in omnibus rebus, ut causans omnium esse, ut supra dictum est.

Ad secundum dicendum, quod licet corporalia dicantur esse in aliquo, sicut in continente, tamen spiritualia continent ea, in quibus sunt, sicut anima continet corpus: vnde & Deus est in rebus, sicut continens res: tamen per quamdam similitudinem corporalium dicuntur omnia esse in Deo, in quantum continentur ab ipso.

Ad tertium dicendum, quod nullius agentis quantumcumque virtuosius actio procedit ad aliquid distans, nisi in quantum in illud per media agit. Hoc autem ad maximam virtutem Dei pertinet, quod immediate in omnibus agit. Vnde nihil est distans ab eo, quasi in se illud Deum non habeat. Dicuntur tamen res distare à Deo per dissimilitudinem naturæ, vel gratiæ: sicut & ipse est super omnia per excellentiam suæ naturæ.

Ad quartum dicendum, quod in dæmonibus intelligitur, & natura, quæ est à Deo, & deformitas culpæ, quæ non est ab ipso. Et ideo non est absolute concedendum, quod Deus sit in dæmonibus, sed cum hac additione, in quantum sunt res quædam. In rebus autem, quæ nominant naturam non deformatam, absolute dicendum est Deum esse.

Doctrinam huius articuli hac breui conclusione complecti possumus: Deus est ubique.

DISPUTATIO XXVII.

An certum sit, Deum ubique esse.

Errores de hac re. cap. 1.

Veritas Catholica. cap. 2.

Quibus modis Dei presentia in loco describitur. cap. 3.

C A-

39
1. d. 37. q. 1.
art. 1. Et 3.
cont. gent.
cap. 68.

Lib. 83. qu.
9. 20. in prin.
habetur,
tom. 4.